

impossibile videatur gravia luxuria peccata vitari. Cfr. Em. Dechamps, Op. t. 8. *La vie de plaisir*. Alii tamen, ut Berardi (de Recid. II. n. 165), quibus astipulamur, non ita universe hoc morale periculum adesse censem. Contrarium enim ipsa experientia et testimoniis poenitentium constare videtur. Nec ita mirum est: nam ad luxuriam multo magis movebit tactus inter juvenem et puellam, solitarie et ex affectu tantum factus, quam ubi mens ad multa alia distrahitur et ad saltandi rythmum intenditur.

3º Confessarius poenitenti qui choreis interesse vult absolutionem denegare nequit, nisi choreae istae eidem sint proximum graviter peccandi periculum. (Vol. II. n. 360) Id autem raro ante experientiam habitam constabit, nisi modus saltandi esset prorsus turpis vel personae congressurae valde perversae. At postquam choreas adiit poenitens, interrogetur num gravia peccata hac occasione admiserit, ut turpiloquia, amplexus libidinosos, etc. et, secundum regulas generales de occasione proxima, e responsis concludatur num sub gravi urgeat obligatio abstinendi.

4º Etiamsi quis in choreis graviter delinquere solet, dantur tamen casus in quibus non est obligandus, saltem sub gravi, ut ab iis abstineat (Berardi, l. c. n. 164), videlicet:

a) Si peccata proveniunt potius ex habituali malitia et neglegentia mediorum salutis quam ex ipsa saltatione. Hujus rei signum erit quod poenitentes passim, ubiquecumque praesertim cum feminis versantur, peccare solent. Hi potius adigendi sunt ut vitam magis christianam agant: hac enim neglecta, non minus peccabunt ex. gr. in conviviis, concentibus musicis, etc. etiamsi choreas dereliquerint; sin autem officia christiana vitae fidelius obire incipient, spes est fore ut in choreis quoque a gravibus peccatis abstineant.

b) Si poenitens a quibusdam choreis sine gravi incommodo abesse nequit, ut si uxor gravi maerore vel ira afficeret maritum quem comitari denegaret.

c) Si quis ita fragilis esset ut passim in omnibus rebus, etiam maxime indifferentibus, peccandi occasionem reperiret. Is enim non esset obligandus sub gravi ut choreas de se honestas invitaret, sed potius ut adhiberet media quibus removeri queat periculum, ex. gr. modestiam in vestitu, cogitationes sanctas, orationem, fugam eorum quos novit pronos ad turpiloquia vel tactus lascivos et eorum in quos amor sensualis valde propensus est.

5º Si abest periculum proximum, nullum omnino peccatum est ad choreas tendere ob finem honestum, ex. gr. uxori ut morem gerat marito, vel filiae ut maritum reperiat, juveni ut puellas quibus nubere possit agnoscat vel honestam recreationem quaerat.

6º Majus periculum solet esse in choreis quae cum larvis aguntur, eo quod multi, soluti a timore ne ab aliis agnoscantur, licentius se gerunt. Nihilominus etiam in iis plurimum attendendum ad personas inter quas fiunt.

7º Ex supra dictis liquebit quomodo agendum sit cum iis qui choreas indicunt vel iis locum praebent, ut solent caupones. Non committunt per se grave peccatum, si choreae satis honestae sunt, quamvis plures hac occasione peccaturi sint. Videndum ergo num talis occasio praestita reapse grave scandalum censeri queat: quod facilius contingit pro iis qui chorearum consuetudinem primi introducunt (cfr. n. 239) vel soli servant in aliquo loco. (Lehmk. I. n. 643) Excusari vero possunt cives honestioris condicionis qui choreas decentes in propriis aedibus praebent, eo quod, ob consuetudinem aequalium suorum similem rationem, aegre hoc omitterent.

242. VII. De spectaculis.

1º Qui assistit spectaculo quod non sit notabiliter turpe, mortaliter non peccat, nisi expertus sit hanc esse sibi proximam gravium peccatorum occasionem. Qui vero interest spectaculo in quo representantur res notabiliter turpes vel turpi modo, mortaliter peccat si interest ob delectationem consurgentem ex ipsis rebus turpibus; venialiter, si, secluso periculo consensus in turpem delectationem, interest ob curiositatem tantum aut vanum solatium. (S. Alph. l. 4. n. 427) Hodie sane plerumque res notabiliter turpes vel turpi modo exhibentur in theatris publicis: nam etiam cum ludus scenicus satis honestus est, solent interponi choreae prorsus indecentes. Hinc, ut dignoscatur num graviter peccent qui his spectaculis intersunt, videndum utrum curiositate an turpium rerum amore ducantur. Jamvero cum Berardi (de Recid. II. n. 173) opinamur fideles qui sacramenta frequentant et tamen interdum theatra adeunt, plerumque vanum solatium tantum querere, neque (ut ex eorum testimoniis liquet) tam facile in gravia peccata incidere quam quidam AA. putant. Nequit ergo theatrorum aditus haberi *per se* ut periculum gravis peccati proximum.

2º Inde liquet confessario cum poenitentibus qui theatrum adire volunt fere agendum esse ut cum iis qui choreas appetunt. Prudenter, antequam aliquid sub gravi imponatur, investigandum num in casu adsit periculum proximum. Hoc rarius aderit in iis qui unice musica delectantur vel ad spectaculum parum attendunt, aut etiam quid agatur vix intellegunt: saepius in juvenibus qui, si crebro theatrum adeunt, facilime in omnem luxuriam ruunt.

3º Quandoque, ob peculiares circumstantias, grave peccatum committetur etiam ab iis qui vel semel ad spectaculum tendunt, ex. gr. si

quaedam exhibeantur adeo turpia vel religioni injuriosa ut ad hoc spectaculum tendentes communiter habeantur tamquam turpitudinem vel impietatem foventes; si quis, ob condicionem suam, spectaculum sine gravi scandalo adire nequeat, quales sunt clerici vel religiosi. (1) Ita quoque graviter delinquent parentes qui sua sponte liberos suos ad theatrum ducunt, nisi antea noverint (quod rarum erit) spectaculum etiam adolescentibus innocuum fore.

4º Confessarius, quantum fieri potest, poenitentes, praesertim pios, a theatris publicis adeundis deterreat, tum quia facile peccata saltem levia hac occasione committuntur, tum quia crebro periculum est ne, libidine impulsi, prudentiae limites mox transilient. Quodsi efficere nequit ut penitus abstineant, curet saltem ne adeant spectacula quae norint esse magis indecentia et periculosa.

5º Pecuniam dare ad emendum jus adeundi spectaculi notabiliter turpis, est quidem cooperatio ad rem malam, sed omnino levis si tantum quibusdam vicibus idem jus emitur. Ideo ob causam rationabilem, ex. gr. taedii depellendi, prorsus excusat. (Villada, Cas. Consc. I. p. 351) Multo gravior fit haec cooperatio quando assidue idem jus emitur, praesertim per subscriptionem annuam. Attamen, ut dijudicetur num haec sit culpa gravis et num quandoque ob gravem causam, puta ob munus publicum, excusari possit, praecipue attendendum est ad influxum quem haec cooperatio in eadem spectacula habitura sit. S. Alph. (l. 4. n. 427), postquam olim opinioni benigniori adhaesit, censuit graviter peccare omnes pecunia concurrentes ad comoedias notabiliter turpes, etiamsi sine ipsis reprezentarentur: quia haec cooperatio ad actionem graviter peccaminosam non est licita nisi fiat ex gravi causa necessitatis vel utilitatis. Villada (l. e.) excusat ob causam gravem, ex. gr. si valde molestum esset alicui abstinere ab his spectaculis et alia honestiora deessent, eos qui assidue introitum emunt; vix autem censet dari causam quae legitimam reddet subscriptionem, quam opinatur esse cooperationem proximam dum prior sit remota. In magnis tamen civitatibus non videtur verum discrimen vigere quoad influxum inter subscribentes et assidue theatra adeentes: ideo censemus ibidem subscriptionem ob causam gravem (quae raro aderit) excusari posse saltem a mortali.

6º Repraesentantes seu componentes spectacula notabiliter turpia graviter peccant ob scandalum aliorum, quamvis non intentum. (S. Alph. n. 428) Attamen ad breve tempus praestari posset concursus per actionem vel cantum, ne quis incidat in penuriam valde gravem, modo

(1) Ideo in Stat. Meehl. (n. 55) "theatrorum publicorum ingressus, spectaculi videndi causa, sub pena suspensionis ipso facto incurriendae... prohibetur."

spectacula non sint absolute graviter turpia, et lascivia, quantum fieri potest, temperetur. Ratio est quod cum spectatores non per se, sed e pravo affectu graviter peccent (cfr. supra 1º), id non necessario refundendum est in actorem qui id invitus permittit. (Lehmk. I. n. 667) Ob multo minorem causam excusari possunt musici qui personas non agunt, sed tantum in theatris publicis artem suam exercere solent. Etenim quod ab ipsis praestatur in se nihil mali continet et tantum per unionem cum verbis et actionibus mimorum ad peccata provocare potest. Eorum igitur cooperatio, seu proximam, seu remotam voces, multo minus arte cum spectaculis turpibus conlectitur quam quae a dramatis personis praestatur. Etiam communis aestimatio, cuius in tali argumento magna ratio habenda est, benignius de eorum concursu quam de mimorum opera sentit. Cum insuper multo levius peccatorum periculum esse soleat in musica quam in mimica arte exercenda in theatris publicis (modo haec non sint extraordinarie scandalosa), non videntur a bona fide deturandi qui tales cooperationem sibi licitam putant ad majus lucrum faciendum, famam acquirendam, etc.

243. VIII. De famulis cooperantibus ad peccata dominorum.

1º Ob solam rationem famulatus, licet praestare ea quae remote tantum ad peccatum domini concurrunt, ut apponere vinum domino se inebriaturo, parare carnes die abstinentiae, ostium domus meretrici aperire, eidem sternere lectum, etc. Haec enim per se prorsus indifferenta sunt, neque a famulo, saltem plerumque, sine gravi incommodo denegari queunt.

2º In iis vero quae propius ad peccatum accidunt, praesertim si injuriam erga tertium innocentem continent, requiritur praeter famulatum *alia ratio proportionate gravis*. Quanta autem requiratur, aegre determinari potest, ut liquet vel ex ipsa sentiendi varietate quae inter AA. viget. Sapienter Berardi (Prax. Conf. n. 784), postquam plurim opiniones de variis casibus hujusmodi cooperationis exposuit, addit: "Ego censeo accuratam et tutam horum et similium casuum solutionem dari posse solum considerata facti specie cum omnibus suis circumstantiis, sumendo regulam a solitis principiis utilitatis, facilitatis et necessitatis recusationis." Ideo pauca tantum specialia hic addemus.

3º Comitari dominum ad domum concubinae vel eum illuc curru vehere, non licet ratione solius famulatus, sed requiritur praeterea notabilis damni metus. (S. Alph. l. 3. n. 64) Idem *theoretice* de quibusvis aurigis dicendum est: *practice*, ut advertit Ball. P. (n. 261), vix est quod de iis inquirat confessarius "quia neque sunt, neque possunt esse solliciti quis, cur, quorsum vehi petat et cum, publico in loco, omnibus indiscriminatim prostent, nequeunt petenti officium detrectare sine gravissimo incommodo."

4º Tantum ob grave malum vitandum liceret famulo excubias agere dum herus cum amasia versatur, illumque admonere si quis superveniat, secreto informationes capere circa locum in quo talis puella sola inveniri queat, etc. (Berardi, op. cit. n. 781)

5º Deferre ad concubinam litteras amatoria vel munuscula (S. Alph. l. 3. nn. 65 et 67) censet esse intrinsece malum; alii tamen, ut Ball. P. (n. 267), verisimilius opinantur licere ad vitandum grave damnum: nam actus ea deferendi est per se indifferens, et continetur in censu obsequiorum quae a singulis famulis praestanda sunt; insuper practice vix constabit famulo quid in iis litteris contineatur.

APPENDIX.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

244. Praeter officia e virtutibus theologicis oriunda, derivantur et alia plurima e virtutibus moralibus, hoc nomine vocatis quia mores hominum secundum rectae rationis praescriptum componunt. His officiis fusius evolvendis hic supersedebimus: singula enim, quantum ad scopum nostrum facit, declarabuntur interpretatione legum generalium vel particularium quibus virtutes morales applicantur. Utile tamen visum est brevem appendicem de iisdem virtutibus subjicere, tum ne desint in isto opere notiones ullae quae in proponendis christiani hominis obligationibus requiruntur, tum ut elucidentur quaedam officia quae in tractatibus de Praeceptis Decalogi, Ecclesiae, etc., locum opportunum non invenerint.

Inter virtutes morales eminent quattuor a Patribus et Theologis **cardinales** seu principales dici solitae: Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia. His nominibus, sensu latiore sumptis, designantur generales quaedam rectitudines quae in omni virtute reperiantur oportet: siquidem omnis virtus debet esse prudens in operando, ne erret per inconsiderantiam vel neglegentiam; justa ut operans praestet quidquid debet Deo, proximo vel sibi ipsi; fortis, ne sinat se difficultatibus vinci; temperans, ne modum a ratione praescriptum excedat. Sensu pressiore, prudentia, justitia, etc. designant virtutes speciales quae velut cardines sunt reliquarum omnium, eo quod omnes virtutes morales ad has quattuor reduci possunt. Non omnes tamen eodem modo ad quattuor cardinales reducuntur: quaedam enim sunt illarum partes integrales, quaedam partes subjectivae, quaedam tandem partes potentiales. (2. 2. q. 48. a. 1).

Partes *integrantes* alicujus virtutis cardinalis eae sunt quae necessario debent concurrere ad perfectum ejusdem virtutis actum, fere sicut tectum, paries et fundamentum concurrunt ad constituendam domum perfectam. Ita memoria, docilitas, etc. dicuntur partes integrantes prudentiae, quia sine his nequit poni actus perfectus hujus virtutis. Partes *subjectivae* eae dicuntur quae sub virtute cardinali, tamquam species sub genere continentur. Ita subjectivae partes ejusdem virtutis sunt prudentia qua quis regit seipsum, et prudentia qua quis regit multitudi-